

## §. III.

Militare vero in his terris iubemur I.): *vt promissioni Militiae in Baptismi sacramento praestitae faciamus satis.* Sacramentum olim iusiurandum (a) illud dicebatur, quod ducibus praestabant legiones. Vid. C. CORNELIVS TACITVS *Annal.* Lib. I. cap. 8. 28. 37. *Lib. I. Histor.* cap. 12. 36. 37. 55. 56. 70. 76. *Lib. II. Hist.* cap. 6. 55. 74. *Lib. III.* cap. 42. 58. *Lib. IV.* cap. 31. 37. 46. 77. *de Morib. Germanor.* cap. 14. *in vita Julii Agricolae* cap. 7. & alibi passim. Imperii Romani hoc graue mysterium, τῆς Ρωμαίων ἀρχῆς σεμνὸν μυστήριον, Lib. VIII. HERODIANVS, *arcanum vero dominationis,* TACITVS appellant. Inter Doctores Ecclesiae primus omnium TERTVLLIANVS, latinorum patrum omnium, VINCENTII LERINENSIS iudicio, facile princeps, iam sec. II. & III. verbum hoc ex Romana Politia in Ecclesiam inuexisse creditur, quippe qui in Lib. *ad Martyras,* & *de Corona Militis* actum illum, quo baptizandi Deo se deuinciunt, & fideliter ac strenue sub auspiciis ac vexillis Christi contra Diabolum se dimicaturos religiose promittunt, ob aliquam cum militari iuramento analogiam, Sacramentum adpellitauit. Diserte in Libr. *ad Martyras* cap. III. p. 138. edit. Parisiens. de anno 1675. inquit: *Vocati sumus ad militiam Dei viui iam tunc, cum in Sacramenti verba respondimus.* Quemadmodum igitur Sacramenti militaris a Romanorum stipendiariis praestiti hoc argumentum erat: se omnes pro Imperatore casus, quoad vitam profuderint, perlaturus; item: salute Caesaris sibi nil fore antiquius, pro nomine eius ne patri quidem par-

A 3

citu-

(a) Differentiam inter iusiurandum & sacramentum militare esse, non obscure LIVIVS *Histor. ab vrbe cond.* Lib. XXII. cap. 38. innuere videtur. An & quae fuerit, docebit SIGONIVS non solum in annotat. *Liuianis,* sed & de antiquo iure *Ciuium Roman.* Lib. I. cap. XV. WILHELMVS GODELEVAEVS in obseru. ad hunc locum p. 171. *Sacramentum voluntarium, iusiurandum necessarium* fuisse perhibet.